

G. K.  
420  
15

Τὴν ἀρχὴν καὶ τέλος ποιεῖ ὁ Θεός!

Πε  
1130

# Ritum caput re-

gendi antiquis receptissimum,

DISSERTATIONE  
HISTORICO-PHILOLOGICA,

sub placidum eruditorum examen revocabunt  
publicè

PRÆSES

M. GODOFR. BUCHNERUS,

&


RESPONDENS

M. FRIDER. AMBROS. FRANCUS,

*In Acroaterio Sapientium,*

*Die XIV. Julii*

*Anno cl. lsc. XXCVIII.*



VITENBERGÆ,

Apud CHRISTIANUM SCHRÖDTERUM, Acad. Typ.





*Plurimum Reverendo, Amplissimo, Ex-*  
*cellentissimo, Clarissimoq;*

**DN. M. CHRISTOPHORO**  
**MÜLLERO,**

**S S. Theologiæ Candidato dignissimo,**  
Pastori Ecclesiæ Erxlebenensis, vicinarumq; Ephoro,  
ut meritissimo, ita longè gravissimo,

*Domino Patruei, Patrono & Fautori sum-*  
*mè colendo, æternumq; devenerando,*

*Nec minus,*

*Dexterrimo, Agillimo, variisq; honoribus*  
*florentissimo,*

**DN. JOHAN. CHRISTOPHORO**  
**OPIZIO,**

Venatori cæterorumq; Moderatori  
prudentissimo,

*Domino Patruei, itidemq; Patrono & A-*  
*mico multis nominibus suspiciendo,*

**Hoc Academicum Schediasma**

**D. D. D.**

**M. Fridericus Ambrosius Francus,**

**SS. Theol. Stud.**





A ✕ Ω.

LEMMATA.

§. 1. Dissertationis occasio. §. 2. Pileus ipse quoad nomen. §. 3. Pileorum usus apud Græcos, Latinos, Persas, Parthos, Gothos, Arabes, Æthiopes, Sineses, Moscovitas, Tartaros, Turcas & Cardinales. §. 4. Gentiles & Ebræi in sacris texerunt capita. §. 5. Ipsa pilei depositio in rebus sacris apud Græcos & Christianos veteres recepta. §. 6. Pilei depositio coram viris honoratis. §. 7. Quid capitis detectio sibi velit? §. 8. Epilogus sistit curiosa quædam de capite nostris moribus retegendo.

§. 1.

**E**A inest homini prava satis natura, ut nihil quicquam carius sit pensusque nobis, quam nosmet ipsi. Hinc est, quod multi amore sui stimulati, aures, tanquam scabiosum membrum, vanâ titulorum insolentiâ fricari velint, ut olim contigit, cum Græci invenissent titulum Nobilissimi, non sufficere videbatur; ambitio enim *περὶ τὸν ὀνόματι* esse voluit, nec hic, quamvis in longo nomine, finis. Augebatur statim monstrique instar excrescebat hunc in modum *περὶ τὸν ὀνόματι μὲν πρὸς τὰς*, quemadmodum *Joachimus Fellerus in Plejadibus Variorum A. LXVI. Lipsiæ disputatorum* id refert. Neque verò aures solùm honoris prurientes & perquam avidæ, sed ipsi quoque oculi sat acres & acuti sunt in eum, qui se non statim inclinato corpore submittit, nec capite detecto reverentiam testatur. Quamquam verò suus cuique honor & titulus sit assignandus, & corpore paulisper inflexo officia & studia offerenda; apertio tamen capitis, ceu honoris modus, ab iis, quos in æquo videmus, & pa-

A 2

& pa-



& pari jure cognatos habemus imperiosè exigi non potest. Quò cum nuperrimè Consilium Magnifici Domini Rectoris publicum collimârit, occasione inde mihi oblatâ, constitutum est, tumultuario hoc Schediasmate ritum re-  
*regendi caput antiquis receptissimum* delineare. Quod si verò hîc parum accuratus ero, paratus erit favor & spes veniæ, cum primis quia binos tantum dies, nec eos integros, ad elaborationem sumere potui. Solatur me Varro & Fulgentius Grammaticus; quorum hic, adnimanter esse, inquit, principes literarum inter dulcia poma aliquando mora (μωρα) posuisse; iste de Lingvâ Latinâ, neque in bonâ, ait, segete non esse aliquod spicuum nequam, neque in malâ non aliquod bonum. In omni malo punico granû aliquod putridum. Quis non aliquando errat ille hîc, alibi ego, maximè autem ille, qui opinione suâ minimè.

§. 2. Quò ergò ritè de ritu retegendi caput agere possimus, generatim quædam de pilei usu commemoranda sunt. Pileus verò ex πῖλος originem trahit suam, qui occurrit apud ipsum Homerum Iliad. κ. μέσση δ' ἐνὶ πῖλῳ ἀρήρει. Et Hesiodum L. II. ἔργων καὶ ἡμερῶν

κεφαλήφι δ' ὑπερθε  
πῖλον ἔχειν ἀσκηπὲν, ἴν' ἔατα μὴ καταδέυη. Alio nomine κυρβασίαν, κίδαριν vel παίριν appellant Græci. Cæterum alius est pileus naturalis, membrana illa vel pellicula, quâ interdum pueri caput involuti nascuntur, exemplo Diadumeni Imperatoris, qui hujusmodi pileo tectus in lucem est editus, ut in eo refert Lampridius, Vid. Glossarium Caroli du Fresne Tomo III, f. 278.

§. 3. Cum homo, lege Dei violatâ, præter sexcenta alia calamitatum genera, caput habere cœpisset variis injuriis obnoxium, inde pilei genita est necessitas. Et quidem observatu dignum est, quod pilea virorum, faminarum verò mitra fuerint. Quam rem confirmat Servius ad Æneidos L. IX,



*Et tunica manicas, & habent redimicula mitra.*

obiter



Obiter de variis capitis foeminei operimentis vide *Anselmum Solerium de Pileo* & *Hofmannum in Continuatione Lexici Universalis* f. 745. sub voce *Foemina*. Hoc ergo loco de pileis tantum strictè summamque agemus, quos in usu apud antiquissimos fuisse, demonstrandum est. *Græci*, quamvis nudis plurimum capitibus inceserint, aliquando tamen Pileos sumere. Quod ipsum sanè loca *Homeri* & *Hesiodi* suprà allegata evincunt. *Castor* & *Pollux* sunt, quibus pilea veteres affinxere, vid. *Philomæ* *εὐ ἀρετῶν*, & *Hofmannus* l. c. sub voce *Pileati*, ubi adducit *Festum*, qui ait, *Pilea Castori & Polluci dederunt antiqui, quia Lacones fuerant, quibus pileatis pugnare mos est*. Ut adeò mirari subeat, quare *Commentatores Alciati*, qui unà cum illis Anno MDC LXI. Patavii prodiit, negent, ullam apud *Homeri* pileorum fieri mentionem, *Emblemate CLI.* p. 642. 643. A *Græcis ad Latinos* progredimur, atque num & illi Pileos usurparint, dispiciamus. Id quo universè negat *Polydorus Vergilius* L. III. c. XVIII. de *Inventoribus rerum*, exemploque *Julii Cæsaris* producto suã statuminare concur sententiã. Iste verò auctor multa quandoque dicit, sed pauci ei credunt. In hoc quidem negotio semetipsum refellit L. IV. c. XIII. & *Plutarchi* gladio ex *Problematibus* desumpto jugulat. Illud certè constat, Romanos, quanquam non semper, cum primis cum in urbe incederent, in lacris tamen, ludis, peregrinatione, militiã, luctu capita texisse. Eò vid. *Lipsius de Amphitheatro* c. XIX. & XX. cum primis *Octavius Ferrarius de re vestiaria* L. I. c. X. & *Sopranes in Davide Digr. I.* Ita de *Nerone* *Svetonius* ait, *post crepusculum statim arrepto pileo vel galero popinas inibat*. Idem de *Augusto*, *domi non nisi petasatus sub dio spatiabatur*. Reliqua etiam non omittenda. Quem *Atbeniensium Crobyli*, *Persarum Tiara* fugiunt apud *Xenophontem* *Cyropædiã* L. VIII. ut & eorundem *Candys*, quod pellitum erat capitis tegmen juxta *Pollucem* L. VII. c. XIII. aliàs *candys* & vestimenti nomen fuit, vid. *Brissonus de Regno Persico* L. II. itidem



dem *Cidaris*, quæ vox solo nomine a tiarâ discrepat, conf. *Alexander Neapolitanus Genialium Dierum* L. I. c. XXIIIX. *Curtius* certè L. III. c. III. *tegmen Regum Persicorum Cidarim* appellat. *Parti* quoque processere *pileati*, uude & epitheton sunt nacti apud *Martialem* L. X. Epigrammate XXII. *Goti pileatos* eos potissimum vocabant, qui generosi erant, ex quibus & reges & sacerdotes ordinabantur, juxta *Jornandem de Rebus Geticis* c. V. Conferri meretur *Caroli du Fresne glossarium* Tom. III. voce *Pileati*, ex quo sumsit pleraque sua, quæ habet *Hofmannus in Continuatione Lexici Universalis* sub eadem voce. Ad Arabes nunc devenimus, apud quos pileus erat &  vid. *Golius in Lexico Arabico*, f. 258. &  evolvantur citatus *Golius* f. 982. & 1955. ut & *Lexicon Arabicum Rabelengij*. *Ethiopes* petaso (à *πετᾶσι* extendo, *Hesychius* *πέτασος τὸ τῶν ἑθιῶν φόρημα*, non *φόρημα*, ut falsò, vulgò tamen, ibi legitur) utebantur marginis ad eò ampli, ut decem hominibus inumbrandis par esse posset, *V. Hofmannus* l. d. sub voce *Petasis*. *Sinensium* pilei describuntur à *Trigaultio* L. I. c. VII. & VIII. *Expeditionis Sinicae*. *Moscovitarum* pileos albos apicatos ex lanâ coactâ refert *Sigismundus Baro Herberstenius*. *Tartari*, *Turcae* & *Persæ* pileum gerunt viridem, capiti æqualem, rotundum, quem pretiosæ pellis fascia ambit, dictum *Turbans*, Vid. *Martinius in Historiâ de Bello Tartarico* & *Hofmannus* sub voce *Turbans*. *Mantissæ* instar *rubrum Cardinalium galerum* addo, quem ex decreto *Innocentii IV.* Pontificis gerunt, qui circiter annum salutis M CC XLIV. sedem Apostolicam, ut illi loquuntur, tenere coepit decretoque publico sanxit, ut *Cardinales* eqvo insidentes rubro uterentur galero, quò major ordini accresceret majestas, argumento tamen non dubio, oportere eos semper esse paratos, pro Religionis Pontificiæ defensione offerre se in discrimen, ipsumque sanguinem effundere. Eo verò galero utuntur *Cardinales*, tum in equestribus pompis, tum in festivis processionibus, & qui-



& quidem in illis pro tegmine, in istis pro umbraculo. Antiquitus autem in Consistorio & in Conciliis eum adhibebant, juxta *Macros Fratres in Hierolexico*, ut & *Theophilum Rainaudum Sectione XIII. de Pileo*. De cætero curioso Lectori de pileis plura cognituro commendamus *Tractatum Solerii*, ubi ex ære varia Pileorum genera exhibentur, & *Petrum de Maridat* in singulari Tractatu de Pileo cæterisque capitis teguminibus. Illud dictis subjungimus, *pileum* apud priscos insigne fuisse *spectatæ virtutis, superioritatis ac potestatis, victoriæ cum primis atque libertatis*, vid. *Bodinus L. I. c. V. de Republicâ*, & *Plutarchus T. 2. Flaminio*, κατὰ πρῶτον ἐστὶ τῶν οἰκέταις, ὅταν ἐλευθερωθῶσι, εἰρεσθῶσι τε τὰς κεφαλὰς καὶ πλῖα φορεῖν. Unde illud ad *pileum* vocare idem est, quod manumittere. Videantur *Philippi Caroli Animadversiones super Gellium L. VII. c. IV. cap. 359. & 360.* Hinc passim videre licet *pileum* in nummis, cum inscriptione *Libertas*; ut in nummo Tib. Claudii, in quo simulacrum dextrâ *pileum* gestans, lævam expansam habens, cujus inscriptio hæc: *Libertas Augusta*. In Antonini item nummo *pileus* à manu dextra pendet, læva hastam tenet, inscriptio: *Libertas Cos. IIII.* apud *Pierium Valerianum Lib. XL. Hieroglyphicorum f. 293.* ex quo desumserunt sua, quæ habent Commentatores Alciati ad *Emblema CLI. p. 645.* qui Galbæ nummum addunt, in quo simulacrum erat cum jaculo & *pileo*, cum inscriptione: *Libertas publica*. Neque dubitari potest, speciatim inter Gladiatorum præmia *pileum* quoque fuisse. Docet id *Tertullianus* Libro eleganti *de Spectaculis*: *Qui insigniori cuique homicidæ Leonem postulat, idem Gladiatori atroci petat rudem & pileum premium conferat*; ad quem locum annotat *Renatus Laurentius*, quod *Nerone mortuo cives Romani pileati omnes visi fuerint*, quasi, quod addo, Roma sævo exempta dominio triumphum testari suum voluerit.

§. 4. Usu pileorum ita vindicato, illud annexere placet,



cer, quod gentilibus caput tegere in sacrificiis consuetum fuerit. Quam in rem *Virgilius in tertio Æneidos* canit :

*Et positis aris, jam vota in littore solves,  
Et purpureo velare comas adopertus amictu,  
Ne qua inter sanctos ignes in honore Deorum  
Hostilis facies occurrat, & omnia turbet.  
Hunc socii morem sacrorum hunc ipse teneto.  
Hæc casti maneant in religione nepotes.*

Ad quem locum perquam erudita sunt, quæ annotavit *Taubmannus*, jungatur huic *Plutarchus in Problematibus*. Eò collimat etiam *Lucretius L. V. de rebus naturalibus* :

*Nec pietas ulla est, velatum sepè videri  
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras,  
Nec procumbere humi prostratum. - -*

Romani ergò omnibus Diis, præter *Saturnum*, *Honorem* atque *Herculem*, aperto litabant capite. Hinc est illud apud *Plautum* in *Amphitryone Act. II. Sc. I. ab Alcmenâ parturiente quoque Dii tecto capite invocantur*. Cujusmodi capitis operimentum dicebatur *Tutulus à tuendo capite*, vid. *Fulgentius de antiquis vocibus* sub Titulo *Tutulus*. Cui addantur *Interpretes* ad illud *Virgilii Æn. III. Purpureo velare comas &c. & Job. Braun. de vestitu Sacerdotum* p. 536. Planè festis diebus Sacerdotes pileum imponebant pro sacerdotii eminentiâ, ut consuli potest *textus in Can. clericos. §. Sacerdos, 21. Dist.* Apud Romanos profectò pileus semper Sacerdotii symbolum fuit. Hinc *apices sacri*. *Pacatus* in *Laudatione Theodosii, insignes apicibus sacerdotes*, vide *Zimmermanni Florilegium sub Tit. Apices sacri*. p. 135. 136. 137. Nam *Flamines à Numâ constituti quasi Pileamines* juxta quosdam dicti sunt; quamvis alii arbitrentur à *flammeo*, quod est capitis tegumentum, istos fuisse appellatos. *Flamen* non poterat esse sub dio sine pileo, sub tecto autem, ut libebat, vid. *Pierius Valerianus L. XL. f. 294. Ut ex Latio in Palæstina*

nam



nam mer recipiam, Ebræi certè orantes tegebant capita, quod  
prolixè satis ostendit *Abulensis in Caput XIII. Levitici*, idque  
potissimum exemplo ipsius Mosis defendit, qui reverentiæ  
ergò coram Deo comparendi ad rubi conspectum caput ob-  
texerit. Ex eodem reverentiæ fonte haud dubiè manavit  
quoque, quod Judæis interdictum sit nudo ambulare capite,  
apud *Buxtorf. c. III. Synag. Jud.* conferri potest *B. Geier. de  
Luctu Ebraorum. C. XI. §. 2.*

§. 5. Postquam ita de tecto capite breviter succincteque  
egimus, propius jam ad scopum nostrum accedimus, allatu-  
ri ea, quæ ad resectum caput spectare videbuntur. Illud verò  
pater, Græcos nudis orasse capitibus, hinc ritum sacrificandi  
Saturno aperto capite *Macrobius* vocat *institutum Græca-  
nicum L. I. c. X. Saturnaliorum*. Quæ consuetudo pari modo  
apud Christianos veteres recepta fuit, diu duravit & viguit.  
*Paulus Corinthios* suos tecto capite orare jussit. *i. Cor. XI.  
7.* ubi simul *Beza annotatio* videri potest. *Tertullianus*, omni-  
um antiquitatum Cornu Copiæ longè ditissimum, ait in  
*Apologetico c. XXX. Manibus expansis, nudoque capite preca-  
mur*. Sic moris fuit, ut Christiani, qui Missarum solemnibus  
intererant, stantes, tecto capite, & baculis humi depositis,  
Evangelii lectionem audirent. Quam in rem versiculi *Hil-  
deberti* sunt multò elegantissimi. Recenset illos *Henricus  
Valesius in Addendis ad Annotationes Theodoriti f. 208.*

*Inde sinistrorsum Domini sacra verba leguntur,*

*Plebs baculos ponit, stat, retegiteque caput.*

*Neve superveniens Zizania seminet hostis,*

*Frontibus imprimitur mystica forma crucis.*

Reliqui possunt legi apud ipsum *Valesium l. c.* nos eos dunta-  
taxat adducemus, qui è re nostrâ erunt:

*Ut sis attentus, patiens, erectus in hostem,*

*Et caput, & baculus, & status ipse docent.*

B

Zippe



*Quippe caput retegens attentè audire moneris,  
Parcere, cum baculum projicis, instrueris.*

Consonat *Hugo in Speculo Ecclesie* c. VII. *Nunc, inqviens, considera, quod plebs baculos deponit, reclinatoria relinquit, caput detegit, stans audit.*

§ 6. Erat & alia capitis denudatio, quæ non in rebus sacris cultuque divino, sed profanis & coram magistratu in honoris signum & submissionis tesseram fiebat. Ita *Chryso- stomus Homiliâ II. adversus Judæos*, ludorum spectatores ætate suâ γυμνῆ κεφαλῆ χειρὶν δέχεται τὴν ἀκτῖνα memoria prodidit. Detecto capite itinera vel ipsa hyeme fecisse quosdam, accepimus, cujusmodi sunt *Domitius Corbulo*, *Syriæ Proconsul*, corpore ingens, verbis magnificus, super experientiam sapientiamque etiam specie inanium validus, juxta *Tacitum* L. XIII. *Annalium*, *Hadrianus Imperator* apud *Spartianum*, quem in locum *Casaubonus* videri potest, & demum *Servius* apud *Herodianum* L. III. Quæ quidem apertione capitis relicta, ad illam cum primis progredimur, quæ salutationis signum est & reverentiæ testimonium edit. Illud generatim notamus, salutandi morem omnibus gentibus in usu fuisse, & non ad civilitatem tantum pertinere, sed indicio quoque esse nobis nostræ fragilitatis, ut admoneamur, nos salutis auctores non esse, sed salutis fontem extra nos positum, ex quo omne bonum ad nos redundet. Hinc rectè monet *R. Chai Gaon Hisp.* in *Carminibus Ethicis* Dist. XXXIX.

לְשׂוֹאֵל עַל שְׁלוֹמְךָ כָּל פְּעֻמִּים  
אָמַר שְׁלוֹם תְּהִי מוֹצֵן שְׁלוֹמִים:

Modus verò salutandi alius subinde atque alius. Judæis שְׁלוֹם לְךָ familiare fuit. Sic ipsa salutatio Judæis vocatur apud *Maimonidem* c. 5. *Efel* §. 20. שְׁלוֹם שְׂאֵלָתְךָ aliquando etiam *Hebræi* dicebant: *benedicat tibi Jekova* Ruth, II, 4. Aliquando *pax super te, abi in pace.* Matth. X, 12. 13. Græci perve-

tusto



tusto more χαίρειν, ὑγιαίνειν & εὖ πράττειν usurpârunt. Quam salutationem *Plato* suis Epistolis præposuit, ut testis est *Laërtius*. Apud Romanos salutandi Patronos ritus erat, qui portabant *matutinum Ave*. *Martialis* L. I. *Epigrammate* .LVI.

*Et matutinum portat ineptus Ave.*

idem L. IV. *Epigrammate* LXXIIX.

*Discurris totâ vagus urbe, nec ulla cathedra est,*

*Cui non manè feras irrequietus Ave.*

*Salvere in super matutinum erat, sed valere vespertinum*, vid. *Svetonius in Galba Sulpicio*. c. IV. Quibus generatim de salutatione prælibatis subjungimus nonnulla de gestibus, ut institutum nostrum de consuetudine capitis retegendi eò melius constare queat. Gestus autem salutationis apud Ebræos fuere corporis prostratio, deoscultatio *Exod.* XIIX, 7. *Gen.* XLV, 13. Hinc lux accedit dicto, *Luc.* X, 4. *neminem in viâ salutaveritis*, id est, nolite in itinere istis gestibus, v. g. solitæ apud Orientales osculationi immorari & prolixæ salutationi, sed pergite, & quod vestrum est, strenuè peragite, ne, obstante hac morâ, Evangelii cursus impediatur. Simile interdictum occurrit *2. Reg.* IV, 29. vid. *Hackspanius parte* III. *Notarum Philologicarum* in *Luc.* X, 4. p. 313. 314. Qui osculationis ritus apud Persas quoque obtinuit, Ita *Xenophon*. L. I. *Cyrop.* Ἐν πέρσαις νόμος ἦν ἕτερος, συγγενεῖς φιλεῖν. Sanè Græcorum ἀσπάζεσθαι non significat simpliciter salutare, sed osculo & complexu salutare, quod olim ex more factum est apud amicos, quasi ὡς εἰς τὸ ἀπικτακτὸν καὶ σπίαω, ὡς ἴπισω. Hinc *Paulus* I. *Cor.* XVI, v. 20. ait, ἀσπάσαθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἀγάπης item *2. Cor.* XIII, v. 12. & *Petrus* consonat in l. epistola c. V. 14. ἀσπόσαθε ἀλλήλους ἐν φιλήματι ἀγάπης. Apud Christianos veteres osculum erat pacis, absoluto quippe baptismo, minister olim baptizatos osculabatur, quod signum erat pacis, consuli potest *Albaspineus ad optatum Milevitanum* L. I. Enarratis ergò salutationis gestibus, haud immerito



ritò capitis refectionem annumeramus, quæ antiquis sanè  
receptissima fuit. Etenim pervetustus honor est capitis a-  
periendi, coram viris honoratis; nec eam consuetudinem, ut  
alia blandimenta servilia, nostrum demum seculum excogi-  
tavit. Scribit *Curtius*, L. IX. c. III. *Cœnum ducem copiarnm*  
*Alexandri coram rege verba facturum more gentis galeam*  
*capitis detraxisse.* Idem mos & Romanorum fuit, qui Deos  
operto, aperto autem ac detecto capite homines salutare con-  
sueverant, vid. *Beierlink. Theat. Hum. Lit. S.* Seneca *Epist.*  
*LXIV.* ita: *Si consulem videro, aut prætorem, omnia quibus ho-*  
*nor haberi solet, faciam; eqvo desiliam, caput adaperiam,*  
*semità cedam.* Ita cum Sylla maximos honores vellet ha-  
bere Cnejo Pompejo adolescenti, quod summâ virtute esset,  
ac partes ipsius strenuè adjuvisset, memoriæ proditum est à  
*Sallustio & Plutarcho, solitum illi eqvo descendere, surgere de*  
*sellâ, caput aperire.* confer animadversiones *Philippi Caroli*  
*in Librum IX. 2. Curtij* p. 647. Id ipsum est, quod & Varro  
asserit, more nempe majorum institutum fuisse, ut veniente  
*Magistratu quilibet caput aperiret.* Consentunt passim  
auctoritates *Plinij, Sallustij, Seneca, Niceta* aliorumque, qui  
viris dignitate præditis & honore dignis, si quo casu occur-  
rerent, *obvios caput aperire consuevisse,* retulerunt, ut *Com-*  
*mentatores citati in Alciatum* l. c. p. 644. suo comprobant  
suffragio. Ut ab antiquissimis ad antiqva progrediar, anno-  
tatum est in *Glossario Caroli du Fresne* T. III. f. 278. *pileum*  
*facere* esse ceterioris Latinitatis, & significare *pileo salutare,*  
& occurrere apud *Jobannem Sarisberiensem* L. III. Polycratici  
c. 6. Quam ad capitis refectionem referendâ esse putamus *ca-*  
*pitis inclinationem* tanquam salutationis speciem apud Mo-  
nachos solique Abbati debitam; hâc de re ait *Udalricus* L. III.  
*Consuetud. Cluniac. c. 2. Quilibet novitius est instruendus, ut*  
*regulariter sciat caput inclinare, scilicet non dorso arcuato,*  
*ut quibusdam negligentibus est familiare; sed ita ut dorsum*  
*sit*



fit submissius, quàm lumbi & caput submissius, quàm dorsum; quàm inclinationem nos per usum antè & retrò appellamus, quia incipit contra orientem & finit contra occidentem, quæ extant in *Caroli du Fresne Glossario Tomo II. f. 38. & 39. & Hofmanni Continuatione Lexici Universalis f. 912.* ubi pleraque, quæ attulit, ex *Glossario* citato desumfit. Erat & alia apud veteres Christianos inclinatio, eos enim cum fulgura conspicerent, ad terram se inclinasse, ex *Græcis Patribus* docet *Swicerus Tomo I. Thes. Eccles. sub voce Ἀσπερῶν f. 561.*

§. 7. Sed revertamur è diverticulo in viam & quidnam ista capitis retegendi consuetudo sibi velit, dictis subnectamus. Placet totam rem verbis *Polydori Vergilij* exprimere. Ita verò ille L. IV. c. XIII. *De Inventoribus rerum: Magistratibus & aliis potentioribus caput aperimus, tanquam omnia nostra illis patere debeant.* Honor omninò, quem quis alteri exhibet, duobus quasi momentis absolvitur, interiori affectu honorantis, quo agnoscit esse in eo, quem honoraturus est, aliquid honore dignum; & affectus significatione exteriori, per verba & gestus veluti per genuflexionem, capitis denudationem, manuum exosulationem. Et fortè tres honoris istius gradus constitui possunt, *illustris, equestris, Academicus, ille regibus principibusq;, iste nobilibus, hic literatis insigniter doctis debetur.* Quemadmodum jam reges principesque cæterique nobis imperantes divinitus instituti sunt, quod ipsi faniores etiam ethnici agnoverunt, unde illa *Ascræi vox ἐκ δὲ Διὸς βασιλῆες*, ita debito omninò sunt maectandi honore, & submissâ capitis apertione venerandi. Quâ in re tamen pessimè sentiunt Fanatici in Angliâ, qui *Quakeri* vocantur: Hi enim sicut Magistratum alias despiciunt planè, ita capitis apertionem coram illo non licere affirmant, & in conspectu ipsius Regis pileos deponere sæpissimè noluerunt. Hanc suam sententiam produnt in *Tractatu vom Hut abziehen.*



abziehen. Speciatim etiam movent dubium de omni honore Magistratui exhibendo, quo de extat Liber eorum dictus *Standarte und Panier an alle Nationen*. Hinc Carolum II. Angliæ Regem non salutabant Regem, sed ita eum sunt allocuti: *Tunc ille es homo, quem Anglia, Hybernia & Scotia Regem appellant*: Cujus generis scriptor fuit, qui Apologiam Electori Brandenburgensi his verbis dedicavit: *Unserm Weltberühmten Friedrich Wilhelm*. Initium est, *Freundlicher Lieber Herr / subscriptio, von deinem wahrhaftigen Freunde*. De quibus judicium ferre nobis in proclivi est, pessimum hunc Fanaticorum morem non legi tantum divinæ, sed ipsi etiam antiquitati repugnare, & id propter meritò à nobis negligi & profligari. Quod reliquum est, multis diducere opus non est, utrum detectio capitis quoque ad eos spectet, qui in æquo honoris gradu constituti sunt, & num Studiosus coram altero caput retegere & ultrò modestiam profiteri teneatur? Quæstio cum prudentissimè in edicto publico decisa fuerit, id mihi non sumo, ut aliquid adderem. Tantum ex recentiori historiâ, quantum institutum permittet, quædam subjungo.


§. 8. Ex suprâ dictis patuit, Christianos aperto capite in templo modestè se gesisse. Quidam sanè in hunc morem impingunt, qui neque intrando templum, neque exeundo caput denudant. Ita *Wagenseilus in Collegio MS.* quod mores quorundam Europæ populorum respicit, mentionem cujusdam facit, qui tecto capite prociderit in genua, quo omnes homines in templo in tantum soluti sint cachinnum, ut penè risu emorerentur. Contrâ apud Pontificios prius caput tegit nemo, quàm concionator tegat suum, neque aperiendum est, nisi cum primâ vice nomen Christi pronunciat, aut ipse prædicator caput suum aperiat. Sic apud eosdem in omnibus locis, cum advenit vespera, signum ad Ave Maria datur, omnes

co



eo tempore, quamvis princeps convivium celebret, capita denudant. Cardinali verò, si ab ipso convivium est institutum, tiaram detrahit pincerna, rursusq; imponit. Quæ postquam *Wagenfeilius* l. c. enarravit, subdit: *Si tanta cura esset dogmatum & cultûs divini interni apud Pontificios, quanta solet esse cerimoniarum, sanè ipsorum Ecclesiâ nihil unquam posset fingi suavius.* Cardinales speciatim quando orant, quamvis non procumbant in genua, ut alii, denudata tamen habent capita. Hæc obiter, ut concludamus, dicimus, erga omnes humanitatem, imprimis eam, quæ salutando absolvitur, ultrò demonstrandam esse. *Cassius*, vir ille longè eruditissimus, inter alia præcepta hoc dedit peregrinatio filio, ut in salutandis aliis studiosus esset, nullam enim pecuniam se largiturum libentius esse, quam quæ emendis pileis erogaretur. Quo nil dici potuit prudentius, quum sponte in omni actu humanitas sit præferenda. Quod si veteres è primo hominis occursum sumebant omina, occurrere enim formoso felix omen habebatur; deformi verò atque nigro, contrà; hinc proverbium  $\sigma\epsilon\delta\iota\omega\nu\iota\sigma\alpha\tau\prime\ \acute{\alpha}\nu\lambda\epsilon\iota\delta\omega\nu$  dici consuevit in deformes, fædoq; aspectu, apud *Grynæum* in *Adagiis* p. 253. nil profectò obstare videtur, quominus ex ipso aspectu & gestibus, vel ipsâ etiam capitis apertione, de alterius humanitate judicetur. Hæc tamen ita velim intellecta, ne de ritu retegendi caput aliquid suavisse vel imperiosum salutandi modum approbasse videar. Id tantum assero, consuetudinem detecto capite salutandi antiquitatis lege se tueri, nec nostrâ demum ætate esse natam. Eâ sanè animi conjunctione veteres vivebant Christiani, ut sinceram invicem colerent Fraternitatem, de quâ elegantem habet observationem *Albaspinxus*, quæ est *XIX. L. I. observ.* *Si quispiam fratrum obviam fieret, si è longinquo rediret, si peregrè proficisceretur, ad amplexum continuo & osculum currebant, mutua sibi fratrum appellatione & salutatione congratulantes, vid. Zimmermannus ad illud Tertull. Finnt, non nascuntur Christiani, §. 200.* Nostris verò moribus rara oppidò avis est hæc sinceritas, quin vel nimîâ gravitate vel civilitate nimîâ delinquitur.

illa





Q 471 1130  
Illa hominum gnaviter impudentium est, qui salutati ab altero non resalutant; Hæc est illa gravitas in Hispaniâ nata & in Germaniâ à quibusdam suscepta. In hoc enim peccant Hispani, ut inter eundem nimiam gravitatis curam habeant, nec caput, nec manus, nec corpus unquam moveant, quin eò progrediantur, ut etiam pater quidam moriturus filio suo gravitatem præ timore Domini commendarit: ita enim testamenti initium se habebat: *primum est omninò tibi observanda gravitas, deinde timor Domini*: vid. *Wagenfeilius* l. c. Quæ tamen gravitas incivilitatis potius nomine appellanda erat. At verò civilitas modum, transgressa est hominum levium, & vulgò Gallis imputatur, qui cum nullâ fœminâ, etiamsi vel maximè ancilla sit, capite operto loqvuntur. Ea & ad nos Germanos pervenit. Nolo verbis meis rem exprimere, sed Duumviros producam, Viros immortaliter meritos, qui de hæc civilitate omnium optimè iudicârunt. Alter Geierus est, qui in libello Liebe zu Gott und den Menschen / dicto XLIX. p. 594. ita Emphaticè loqvitur: *Meinestud daß es mit leeren Complémenten ausgerichtet sey / daß man nach heutiger Manier zu einander spricht: sein Diener / sein schuldigster Diener / meine Dienste / ic. Ach wo ist das Herz? wem dienest du? worinnen? mit was Absehen? auff was Art? -- -- Ach was für Belials Tücken liegen unter einer solchen geschwârzten Joabs Zunge? Dienste sind heutiges Tages leere / wo nicht gar giftige / Dünste.* Hæc ille. Alter Müllerus est qui in der Apostolischen Schluß-Kette. Dom. II. p. Trinitatis p. 630. ait: *In der alten Kirchen war die Liebe noch brünstig / da sich die Christen Brüder und Schwester untereinander nenneten. Nun man aber die Liebe-Mahnen abgeschafft / und das Complémentiren und tituliren aufbracht / ist auch die Liebe im Herzen erkaltet.* Hæc eò adduxi, ut constare possit, quid de civilitate ista, quam Complementa vocamus, sit sentiendum. Illud adfirmare possum, repugnare eam toti antiquitati, nec cum bonis moribus congruere, quamvis ritus retegendi caput antiquissimus sit multorumque consuetudine passim confirmetur.

FINIS.




107



Plurim  
DN.  
S S. T  
Pastori  
Domin  
mè co  
Dexter  
DN. JO  
Vena  
Domino  
mico

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

**KODAK Color Control Patches**  
© The Tiffen Company, 2000  
**Kodak**  
LICENSED PRODUCT  
3/Color Black  
White  
Magenta  
Red  
Yellow  
Green  
Cyan  
Blue



isimo, Ex-  
simoq  
**PHORO**  
dignissimo,  
umq; Ephoro,  
ssimo,  
Fautori sum-  
enerando,  
q honoribus  
**PHORO**  
oderatori  
trono & A-  
ciendo,  
Schediasma  
D. D.  
rosius Francus,  
l. Stud.

§. 1.  
H  
con  
cer  
uec  
mo  
μ87  
Va  
aur  
que  
nat  
Qv  
cor  
me

